DE

ULCERIBUS ARTIFICIALIBUS

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

UT

SUMMI SIBI IN MEDICINA HONORES RITE
CONCEDANTUR

DIE XIII. M. MARTII A. MDCCCXXI.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

ADOLPHUS EDUARDUS STURM

KALISIENSIS.

OPPONENTIBUS

E. HASELOFF MED. DR.
B. RAVEN MED. ST.
J. D. GABLER MED. ST.

BEROLINI
FORMIS BRUESCHCKIANIS.

Ab antiquissimis inde temporibus methodus, quam derivantem nuncupant, haud mediocre auxilium morbis praestitit, eaque luculenter, optima quaeque ab oblivione defendi, docuit. Quamvis ante aliquod temporis spatium haecce methodus non solum repudiaretur, verum etiam supervacua atque perniciosa censeretur, recentiores tamen auctores praestantiam eius agnoscere haud dubitarunt. Quid quod ratiocinia medicorum, rationalem solummodo medicinam profitentium, omnemque empiriam refutantium, dignitatem eius ex toto abrogare haud valuerint?

Revellendum, aut potius retrovellendum esse iudicant, si morbus organon quoddam obsidens maiores molestias, quin imo vitae discrimen inducat, isque morbus eiusmodi sit, qui revellentibus submoveri queat. Quamvis huic methodo nostris potissimum temporibus latior pateat area, certis tamen limitibus applicatio eius circumscribitur. Auxilia derivationem praestantia diversimode sunt diducta. Modo enim quinque eorum classes (Leidenfrost de revulsione in cutem, in opusculis eius) modo plures modo paucio-

res eorum sunt constitutae. Commodissime in tres classes ea dispesci autumo; (Fr. Hufeland.)

1. Incitantia localia. Contrastimulantia, quibus potissimum stimuli cutanei inserendi sunt.
2. Relaxantia
3. Evacuantia quae humores eliminant.

Stimuli cutanei iterum dividi solent

a. in leviora incitantia, quo cucurbitulae sine ferro spectant.
b. in rubefacientia seu inflammationem moventia.
c. in vesicantia.
d. in suppurationem excitantia.

Novissimis hisce potissimum in conscribenda hac dissertatiuncula operam navabo. Vescicantia eatenus etiam huc pertinent, quatenus iis pus cieri potest, propter eaque observationem aliquam merentur. Notio suppurationis, quam quis artificio aliquo in cute excitaturus est, cutem epidermide denudari, vel continuitatem eius dirimi exigit. Quibus quum affectio quaedam inducatur, quae ulceris nomine salutari consuevit, ita constitutum est a medicis, ut, quod artificio quodam natum est, aliusque morbi medelae inservit, ulcus artificiale denominetur, quippe quae nota discrimen eius a naturaliter ortis exhibet.

Ulcera artificialia aliam quoque recipiunt divisionem, haud parvi existimandam, quippe quae eorum efficacia plurimis in exemplis praestita nititur:

1. Primo ordini adiudicanda sunt, quorum primarius atque maximus effectus in stimulo consistit, quem efficiunt. Suppuratio uberior minus consideranda venit, quum ulcus pus verum haud secernat, sed

potius ichorem corrodentem, qui latius serpit, partesque contiguas exedit. Huc spectant emplastrum cantharidum, cortex mezerei etc.

2. Secundae classis sunt, quorum quidem effectus primarius stimulo atque inflammatione cernitur, cum eo tamen, ut istae affectiones celerius in suppurationem convertantur, quae citra partis alicuius periculum intendi potest. Hisce fonticuli, ferro vel causticis producti nec non setacea adnumeranda sunt.

3. Tertia classis ea comprehendit, quae utrumque praestant effectum, sic ut protinus ab initio vehementiorem inducant inflammationem, verum tamen suppurationem profusam maturius cieant, verbi causa ferrum candens prismaticum, quod non solum fonticulum exhibet, verum etiam inflammationem longinquiorem, ferri magnitudini respondentem, actionemque auctiorem prae se ferentem, procreat.

Pro hisce effectibus secundariis, quibus auxilia diversa, ulceribus formandis inservientia, pollent, unum alterumve eligatur necesse est, prout suppuratio vel inflammatio, maior minorve spectatur, aut uterque effectus requiritur.

Pauciora illa, quae de historia ulcerum artificialium monenda veniunt, maximam partem auxiliis diversis continentur, quibus illa formantur, siquidem medici iam pridem controversias agitarunt, quodnam auxilium reliquis sit praeferendum, vel quando et quonam modo ulcera artificialia parari debeant.

Ulcera artificialia iam antiquissimo adhibebantur aevo, etenim Hippocrates frequentius ferro candente, Scytharum morem secutus, vel oleo fervente, cui pro morbi indole vel buxum aut vitis laurique ramulos immiscebat, usus est. Neque moxam ignorabat, vel ex boleto vel ex linamento formatam. Ferri candentis usus per longum temporis intervallum valuit, siquidem Celsus, Coelius Aurelianus, Aëtius ad hoc auxilii genus confugere suadent. Archigenes quidem atque Soranus cupro (Celsus lib. V. Cap. 28.) (Vegetius mulomedicina lib. 1. Cap. 14,) Albucasis et Avicenna auro candente utebantur, in quibus tamen nullum omnino est discrimen. Cantharides, quamvis antiquioribus innotuissent, saeculo tamen decimo septimo medicinam demum praebere coeperunt. Causticis chemicis in usum vocatis, tum ignis tum ferrum, a vetustissimo inde aevo satis cognitum atque applicatum, abrogabantur, donec praemium ab Academia scientiarum Parisiensi (1755) propositum ferrum candens oblivioni eriperet. Attamen Severinus iam antea ferro candente utebatur. Moxam praeferendam iudicabant Pouteau, Pascal, Iebb, eamque fere ubique, ferri candentis loco commendabant; praeterea etiam cantharidibus causticisque ad conformandos fonticulos utebantur. — Recentioribus adeo temporibus auxilium ex igne desumtum prorsus negligebatur, donec Rustius ferro candenti eam conciliaret dignitatem atque praestantiam, qua inter cetera auxilia excellit.

Verum tamen usus eius arctioribus circumscribitur limitibus, siquidem aegroti, metu quodam exterriti magnopere hoc auxilii genus perhorrescunt, nisi su-

prema cogantur necessitate. At vero non hoc solum sed alia quoque praesidia ad confotmandum fonticulum idonea id difficultatis habent, ut medicus blando solum alloquio aegrotos permovere queat, ut hisce operationibus indicatione data parum fallacibus sese submittant. Huc accedit, quod non solum aegroto verus huius auxilii usus difficulter persuadetur, verum etiam perversae opiniones administrorum quorundam debellandae sunt, quod quidem negotium multo maioris difficultatis est, quum opiniones illae utplurimum iudiciis praeconceptis vanisque argumentis nitantur. Has quidem ab experientia refelli, plurimi testantur auctores, qui de hisce disseruerunt atque observationes nobiscum communicarunt. Quin imo argumentationes a sola ratione petitae effectum salutarem ulcerum artificialium confirmant, de quibus infra uberius exponetur. Magni tamen momenti est, ut medicus profanorum obiectiones noverit, ne incassum ea impugnare atque debellare studeat, quae ab illis sibi proponantur. Haud facile enim opiniones aegrotorum praeconceptae, eorumque pertinacia coërcentur.

Primum quidem adversarii id incommodi ulcera artificialia inferre dicunt, quod, si fonticulus aliquamdiu fluxerit, per totum vitae spatium patere debeat. Quamvis haecce opinio argumentis etiam medicis fulciatur, multumque et propugnetur et impugnetur, nullam tamen recipit dubitationem, quin huiusmodi ulcera, non secus ac alia ulcera inveterata, conditionibus aequis sanari possint. Licet enim corpus facillime secretionibus morbosis assuescat, quae celerius repressae, metastases periculosas inducunt, haud

minus facile desuescit, dummodo sensim facultas, hasce secretiones praestandi ei subtrahatur. Magis autem periculum cavetur revulsionibus, potissimum evacuantibus in tubum intestinalem ingestis, quippe quae proclivitatem producendi ad organon recens incitatum deducunt. Facili tamen negotio patet, nec ubique nec certo tempore praeterlapso ulcus artificiale sanari debere, quum ne alia quidem ulcera inveterata, quovis tempore occludi possint. Prae omnibus enim morbi status considerandus venit, quem ulcerum artificialium ope sublevare studeamus. Qui si insignis est, aut facile recurrit, vel causa eius arti renititur, perperam faciunt, qui clauso ulcere aegrotos denuo ad eum morbum opportunum reddunt, qui modo ulcere debellatus est.

Secundo loco artificialia magnam inducere debilitatem, obiiciunt. Organon quodcunque, magnam humorum copiam eliminans, alium in usum antea destinatorum, magnopere quidem corporis vires exhauriat, necesse est, priusquam organismus huic humorum diminutioni assuescit. Attamen in his non est, quod auxilium hoc negligamus, siquidem commoda eius incommodis longe praecellunt. Ceterum communis omnium experientia docet, quantum organismus salva integritate sua sustinere possit. Quanto maior humorum iactura in carie vix mediocri est, quae quidem praeterea id incommodi parit, quod ichor secretus resorbetur, quam resorptionem multo magis humorum detrimento circa originem febris lentae causandam esse arbitror. Ulcera artificialia hoc incommodo carent, quippe quae bonum pus secernunt, vel nulli resor-

ptioni obnoxium, vel ita resorptum, ut pro natura sua corpus ab hac debilitatione tutum praestet. Ceteroquin iactura illa humorum non tanta est, quantam vulgo putant, pericula enim a Dreissigio instituta (Hufeland Iournal der Arzeneykunde 10 B. 3. St. pag. 110.) licet parum absoluta, humoris copiam, ex fonticulo pisi magnitudinem referente promanantem, perexiguam esse probant. Victu modico vitaque otiosa intra duodecim horarum spatium sedecim puris grana, nutrimentis vero incitantibus, calidisque ingestis, vitaque irrequieta, viginti sex eius grana obtinebantur. Etiamsi his in exemplis non omnis secreti puris copia notata est, vix multo copiosior esse potest, quamobrem humorum iactura, si cum aliis excretionibus, metum haud excitantibus, comparaveris, minima existimanda est. Expedit etiam, nisi corporis habitus repugnat, ulcera artificialia remediis roborantibus internis victuque nutriente coniungi, quibus damnum illud facilius resarciatur.

Porro dolores, quibus aegroti, tum in conformandis, tum patentibus fonticulis obnoxii sunt, in causis esse videntur, quibus istud auxilii genus ab iis repudietur. Eiusmodi dolores haud abesse, praesertim vero intendi, ubi maiores formentur fonticuli, per se patet. Iidem etiam remediis quibusdam ad producendum fonticulum idoneis exasperantur. His potissimum adnumeranda sunt ignis et magis ferro candente moxa, cuius effectu diuturniori dolores constantiores indeque intolerabiliores redduntur. Ad huncce metum aegroti compescendum, fiducia praesertim confert, quam aegri in medico collocaverunt. Hoc in casu, sicut in

aliis curationibus manu perficiendis medici est, ut aegroto necessitatem huius agendi rationis persuadeat, eique spem suppeditet, malum eius huic remedio facillime promtissimeque cessurum. Propterea perperam faciunt, qui experimenti causa hoc remedio utuntur, nisi aegrotus ipse id exigat. Minimi haud dubie dolores existunt, si emplastro cantharidum fonticuli ita infliguntur, ut diducta epidermide pisum ei loco modice inprimatur, cuius magnitudini post haec orificium dehiscens respondebit. Hanc agendi rationem culter excipit, quo partes quam celerrime diducuntur, dolorque tantum momentaneus nascitur. Patente fonticulo, haud maiores inducuntur dolores, quam vulnere quocunque, quibus quidem aegroti ita assuescunt, ut, nisi iniuria quaedam accedat, ne sentiantur quidem.

Unumquodque ulcus aliquamdiu apertum, odorem spargit specificum, quem interdum foetidissimum esse novimus, nisi purgando ulceri cura idonea impendatur. Foetor iste, ac deligationis quotidianae necessitas, aegroto molestissima sint necesse est, quae causa sola interdum sufficit, ut fonticuli conformatio recusetur, ubi corporis vitium minoris momenti est. Quin imo saepius aegroti hoc argumento permoventur, ut maturius ulcera artificialia claudi iubeant, quam expedit. Hinc medicum id praecipue agitare oportet, ut ligaturam hisce difficultatibus occurrentem applicet. Quamvis enim deligandi necessitas nunquam non maneat, odor tamen specificus munditie maxima, lotione ulceris ex aqua tepida, et serico cerato vulneri imposito commodissime coërcetur.

In conformandis ulceribus artificialibus id quidem prae omnibus est agendum, ne impedimento aegrotis sint, quominus negotiis suis perfungi queant, attamen locus quem morbus ipse commodissimum indicat haud negligendus est. His optime satisfieri potest, ubi ulcus parti affectae quam proximum sit, necesse non est quod si evenit, eum praesertim locum eligere oportet, qui salvis artuum functionibus laedi potest, siquidem haud raro accidit ut, si impedimentum quoddam ex ulcere nascitur, vel hoc ipsum ab aegroto repudietur, vel ministeria quibus praeesse eum oportet, negligantur. Ligatura idonea ac firmiter inhaerescens praecipue ulcus ab iniuriis externis tuetur, quamobrem id quoque respexisse medici interest.

Sententiae de agendi ratione ulcerum artificialium pariter ac omnium remediorum, quibus derivatio praestatur, quolibet aevo mutationibus obnoxiae fuerunt, quarum quidem maximas haec nostra methodus experta est, quippe quae facillime variis hypothesibus adaptari potuit. Sicut vero hypotheses istae procedente tempore abolebantur aliisque locum faciebant, agendi etiam ratio horum remediorum variis opinionibus huc illuc iactabatur. Omnia vero conamina causam sufficientem actuositatis eorum investigandi, haud minus perdita fuerunt, ac diligentia quam explicandae efficaciae remediorum internorum, quibus artis salutaris ministri morbis medentur, navarunt. Haecce diligentia tamdiu frustraneis conatibus inhiabit, quam variae organismi ipsius facultates attentionem nostram fallunt. Non id operam daturus sum in hocce opusculo, ut causam sufficientem agendi rationis ulcerum

artificialium indagem, eiusque explicationem suppeditem, siquidem quod plerisque male cessit, vix et ne vix quidem mihi contingere potest. Nonnullas tantummodo recensebo sententias de ulcerum artificialium usu, quae maioris momenti mihi videntur.

Vetustissimam de efficacia horum ulcerum interpretationem pathologi sic dicti humorales proposuerunt, quibus scilicet effectus eorum benignus arridebat, quippe qui hypothesi ab iis evulgatae favebat. Quum hypothesis ista omnibus in morbis acrimonias quasdam corporis praesupponeret, quibus evacuatis morbus solvi posset, ulcera artificialia remediis maxime idoneis inserebantur, quae illas immediate ex sanguine eliminarent. Ulcera enim artificialia stimulo in aliqua corporis parte excitato, acrimonias illuc evocare pureque eiicere existimabant. Quemlibet igitur morbum ulceribus hisce radicitus fere extingui contendebant, utpote quae materiam peccantem seu ipsam morbi causam eliminarent Me vix operae pretium facturum esse arbitror, si sententiam hanc refutaverim, siquidem per se liquet, hypothesin istam propterea alienam esse, quod acrimoniae in organismo haud existunt, quin eundem destruant eiusque vitam dissolvant. Minus perversa pathologi solidares qui dicuntur proferebant, quippe qui argumentis minus vanis insistebant, sed principiis longa observatione stabilitis sententiam suam fulciebant, licet ea nostris temporibus parum respondere videtur. Observationibus multifariis circa corpus animale institutis, vitam alicuius partis, seu quod idem est, actionis huius partis tantummodo aliarum partium impensis vel intendi seu

augeri posse, constāt. Contentio alicuius organi vehementior efficaciam virium vitalium in hanc partem evocat, aliarum omnium vitam labefactat. (Reil Fieberlehre. 4. B.) Irritamento quod ulcus artificiale inducit, contra stimulus provocatur, morbus organi prius affecti solvitur atque in alterum, quod modo irritatum est, deducitur. Hoc contrastimulo morbus, uti supra positum est, iuxta leges antagonismi, ex toto restinguitur. Nullatenus vero morbus cuiusdam partis in alteram ita potest transplantari, ut illam partem protinus liberam dimittat. Morbus mutatione quadam rationis actuositatis internae nititur, quae neutiquam alius morbi ortu, itaque laesione nova harmoniae functionum ad aequilibrium reduci potest, sed diutius persistere debet. Incitationis natura est quae sensim tantummodo e centro suo progrediatur, si ab iis discesseris, quae consensus lege mutantur. Porro stimulum solum morbi primitivi curationi non sufficere, sed saepenumero suppurationem tantum profusam hanc praestare posse videmus.

Doemlingius (Horns Archiv der medicinischen Erfahr. 4. B. p. 635.) aliis argumentis hanc theoriam debellare conatus est. Ulčera scilicet artificialia incitare, hoc vero incitamentum ad alia etiam organa praecipue finitima propagari, idque iuxta legem propagationis stimulorum evenire supponit. In organismo inquit, non est, quod duae leges sibi repugnent, ac si stimulus provocatus actuositatem organi laborantis diminuit, fieri non potest ut simul augeatur. Attamen experientia testis est, utramque legem existere, tum antagonismi, tum communicationis stimulorum; quas

quidem leges applicatis ulceribus artificialibus vim suam inferre, extra omnem dubitationis aleam positum arbitror. Interest solum, ut utriusque legis, quae repugnare sibi videtur, conspiratio concilietur, quod quidem plane desperandum esse nego. Infra de his fusius disseram.

Porro Doemlingius, ubi methodus derivans indicata est, astheniam supponit, etiamsi ad irritationis auctae speciem referre videatur. Propterea sanatio huius morbi facilius ex lege communicationis irritamenti explicari potest, siquidem actuositas organorum primitus affectorum intenditur, itaque morbus discutitur. Ubi affectio inflammatoria se conspiciendam non praebet, fieri potest, ut morbus potius communicatione, quam derivatione actionis solvatur, quod affectiones locales apparent, inficiandum puto. Qui enim morbi utplurimum inflammationis naturam agnoscunt, vel incendio nupti, diminuta vi vitali seu asthenia vacare videntur. Actio nimirum vitalis per se tum imminutá augeri potest, quin partes singulae eius participes fieri cogantur. Hinc saepissime vi vitali in universum diminuta, partes singulae infimum eius gradum tenent. Quod e. g. in sphacelo organorum singularium ita evenit, ut vis vitalis facilitate incitationis ac robore actuositatis aliquamdiu gradum auctiorem teneat. Quanto maioris momenti pars aliqua ad sustentandam vitam et perficiendam instaurationem virium emissarum est, tanto brevius illud erit intervallum, eoque celerius asthenia localis in universalem coniicietur. Inflammationis notio nunquam non vis vitalis augmentum supponit, quum omnia eius phaenomena vitam

intentam prodant. Haec quidem actio vitalis aucta partium singularum minime refutat decrementum actionis universalis sive astheniam, quam inflammationem sic dictam asthenicam nuncupare licet. (Rust)

Sunt fortasse, qui obiiciant, hanc inflammationem a sthenica essentialiter discrepare, quippe quae longe aliam medendi rationem exigat. Hoc tamen alienum est, quum inflammatio sthenica secundum stadium ingressa, quod actuositati vitali satis diminuta conspicuum est, eandem requirat curationem. Propterea asthenicam eam habere licet, quae protinus a stadio secundo incipit nec diminutione actuositatis vitalis auctae indiget. Eadem de causa secundum Doemlingii argumentum supervacuum est, ubi enim vis vitalis iam intenta est, morbus neutiquam remediis cedit, quae illam magis adaugent.

Verum tamen sententia de curandis affectionibus asthenicis, ulcerum artificialium ope, medicis qui theoriam irritationis profitebantur, persuasit, ut ulceribus artificialibus excitandi facultatem largirentur, iisque iuxta hypothesin suam uterentur.

Alii medici eiusdem scholae his obnitebantur, ulceraque artificialia directam astheniam provocare, affirmabant, quum, quidquid humoribus excerneretur debilitatem parere opinarentur. Magis etiam opinio eorum confirmabatur, quod ulceribus artificialibus nunquam non massae organicae destructio inducitur, quae quidem res permultum ad procreandam disharmoniam actuositatis organicae conferre videtur. Quum reproductio iisdem ulceribus summopere intendatur, huic vero impedimenta gravissima obiiciantur, viam

abnormem ingrediatur, necesse est. Hisce organon secretorium abnorme paritur, quod damno humorum quotidiano fontem inexhaustum variorum incommodorum praebet. (Gutfeldt über Derivation und Revulsion in seinen Untersuchungen über medicinische Lehrgebäude. 1 Band p. 166.) His de causis hypersteniam tantummodo ad debellanda ulcera artificialia prodesse indicant, siquidem absonum esset, iisdem contra astheniam uti, quae potius augeatur necesse est. Quibus in casibus quum auxilia multo efficaciora suppetant, ulcera ab iis, qui incitationis theoriam amplectuntur ex toto supervacua existimata sunt.

Verum omnino est, ulcera artificialia, si diutius pateant, organismum quodammodo attenuare, attamen vitae ipsi tantummodo officiunt, ubi tanta humorum iactura nascitur, quanta resarciri nequeat, quibus tamen diminuto ulceris ambitu succurri potest. Ceteroquin tantum abest, ut effectus ab initio debilitet, ut stimulo suo actionem vitae universalem haud secus intendant, ac unaquaeque alia methodus quae inflammationem provocat. Hac corrupta de curationibus chirurgicis sententia, quippe quas protinus ab initio debilitatem inducere omnes fere arbitrabantur, effectum est, ut quo tempore incitationis theoria valuit, plerique operationibus submissi, morerentur. Imo adeo recentiori aetate opinio haec praeiudicata potissimum circa amputationes varia intulit incommoda, siquidem organismo tam graviter tentato, febrem vulnerariam antiphlogisticis, in primis venaesectionibus infringere dubitant. Ex his patet, ulcera artificialia ab initio effectu debilitante carere,

detrimentum vero inde exortum regimine idoneo sarciri posse. Neutiquam igitur asthenia ulcera artificialia conformari vetat, quae affectione locali provocatur; quae enim si hac methodo sublevatur, corpus, licet potentiis debilitantibus afficiatur, novum tamen robur capessat necesse est.

Non omnes theoriae incitationis professores vesicatoria ulceraque artificialia penitus reiicienda censebant, siquidem ingens exstitit exemplorum numerus, quibus ab his solis auxilium sperari potuit. Propterea id operam dederunt, ut effectum eorum salutarem cum sententiis supra propositis theoriae irritationis conciliarent, atque explicare studerent, quo modo fieri possit, ut debititationes directae in morbis asthenicis tantam utilitatem praestent. Doemlingius (l. c.) ad hoc negotium incubuit, quippe qui omnia sic interpretatur, ut unaquaeque valetudo adversa, proportione certa facultatum fundamentalium organicarum in organis affectis, vel aberratioue organorum variorum a statu naturali, quoad gradum diversa nitatur. „Hoc demum modo" inquit, sanatio morborum „diversorum astheniae innixorum, e. g. haemorrhagiarum, „febrium intermittentium ope remediorum debilitantium, „quorum usum nova quaedam valetudo adversa insequi„tur, dilucidari potest. Huic legi omnes metastases ob„temperant, novaque de actionibus doctrina eiusmodi legis modificatio habenda est." Quod si verum est, derivatio mutatione quadam proportionis facultatum organicarum fundamentalium in organis finitimis subnascitur, qua simul partium antea affectarum ratio mutetur, necesse est. His quidem dictis momenta pri-

maria efficaciae ulcerum artificialium explicantur, siquidem proportio facultatum fundamentalium alicuius organi mutata in reliquum etiam organismum, praecipueque in partes coutiguas vim exerit, quibus phaenomena valetudinis adversae mutantur.

Verum tamen haec explicandi ratio neutiquam illustrat, quo modo mutatio illa in organa affecta prosperam exerat effectum, et harmoniam perturbatam facultatum fundamentalium eatenus restituat, ut morbus extinguatur. Mutationem quidem evenire contendit, non vero qualis eveniat, docet, quapropter rationem tantummodo ultimam nobis suppeditat, cuius utique summum debet esse momentum.

Parvi vel nihili omnino Doemlingius stimulum facit, qui ulcere artificiali adhibito subnascitur, cuius vero maximum est momentum ad mutationem prosperam morbi primitivi inducendam. Rationem tantummodo habet mutationis morbosae subsequentis, ulcere patescente productae, unde vero citra actionem eius secundariam vix et ne vix quidem commoda satis cognita explicari possunt' „Quo modo enim, inquit, „effectus eorum salutaris cum legibus organismi con-„ciliari potest, utpote qui omnino debilitat." Effectum vesicatoriorum incitantem ab initio quidem concedit, huic vero debilitatem succedere affirmat. Fonticulos ne per momentum quidem incitamentum praestare asserit. Horum tamen stimulandi facultatem non ab initio tantum observari, verum etiam diutius perseverare, iam nomen curationis horum ulcerum significat, quamobrem incitamenti actio maior sit, necesse est, quam Doemlingius proponit. Ut scilicet ulcus artificiale pa-

tescat, status quidam inflammatorius sustentetur oportet, iam vero constat, incendium solummodo stimulis produci. Qui si negliguntur, suppuratio desinit, ulcusque effectu destituitur. Praeterea insignis remediorum virtus, qnae simul inflammationem ingentem excitant, stimulum inde natum haud supervacuum esse comprobat, siquidem illa, omnibus periculis irritis, salutarem saepe mutationem produxerunt.

Ad efficaciam ulcerum artificialium rite explicandam suppuratio sola non sufficit, sed stimulo etiam inde subnato opus est, quum singula curationem praestare non valeant. Ulcerum effectus igitur duplex est, primum incitans, qui alterum praecedit, ergo primarius est; dein debilitans qui succedit atque secundarius nominari potest. Nec tamen haec ita intelligantur velim, ut incipiente suppuratione effectum incitantem desinere putes, siquidem remediis irritantibus v. c. unguentis irritantibus, pisis, setaceis aliisve nova semper inducitur inflammatio, quae in suppurationem terminatur. Phaenomena igitur ex ulcere orta alternis vicibus, modo inflammationem modo suppurationem ostendunt, quapropter effectum eius et irritantem, et propter suppurationem viriumque impensam inflammationi necessariam, infirmantem habere licet. Quum vero irritatio ista naturam suam tam luculenter manifestet, existimare vix licet, nullum omnino eius esse effectum. Non minus igitur perversam atque insufficientem eam puto explicationem, quae huic rei nihil pretii concedit, quam quae omnia suppurationi largitur. Duo haec potissimum sunt phaenomena, sine quibus ulcus artificiale cogitari non potest; quae igi-

tur efficaciam eius ad morbos sanandos idoneam adiuvent necesse est.

Plus probabilitatis recentiorum medicorum effata produnt, quippe quae haec habent: Unaquaque irritatione locali non solum actio vitalis alicuius partis intenditur, verum etiam affluxus sanguinis aliarumque materiarum irritantium eo perducitur, quae quum aliis partibus, praecipue illis, quibus mutuus est consensus, subtrahantur, actuositas earum infringatur, necesse est, quapropter etiam morbi symptomata diminui consueverunt. Iam supra me ostendisse arbitror, ulcera artificialia non solum ipso quo infliguntur momento, sed postea quoque inflammatione sustentata, irritamentum suppeditare. Hic effectus, florescente ulcere alitur, corporique reliquo propter virium impensam ad haec necessariam, haud mediocrem nutritionis partem subripit, qua ad resarciendas vires, vita ipsa consumtas, opus est. Quum ita organon affectum, detracta adminiculorum parte impediatur, quo minus eodem vigore quam antea phaenomena praestet, symptomata morbosa, nisi ex toto, ex parte tamen cessare oportet. Omnia quidem legi supra propositae innituntur, vitam alicuius partis tantummodo reliquarum impensis augeri. Hinc ad ea iterum accessimus quibus pathologi solidares insistebant, eo tamen discrimine interposito, ut illi omnem effectum solidis tantummodo partibus adscriberent, recentiorum vero opiniones fluidis quoque negotii aliquid tribuerent. At vero ne partes quidem solidae fluidaeque prosperam hanc mutationem in organis laborantibus praestare queunt, sed aliis etiam, ut symptomata mutentur, opus est. In

corpore scilicet organico vita ab ipsa massa dependet, eique adstricta est, cuius sarcimento, vel substracto vitae ipsi quidquam detrectetur, id est actuositas interna, phaenomenis illis supposita, quam vitae nomine comprehendimus, diminuatur necesse est.

Ad actuositatem alicuius partis diminuendam, aliarum vitam, potissimumque earum quibus cum illa est consensus, intendamus, necesse est. Inde lex est deducta: actionem vis vitalis, mutationemque eius temperiei, congestionis ad instar variis adminiculis aut internis aut externis partibus quibusdam adduci aut subtrahi posse (Reil Archiv 1. B. pag. 116.) Ad efficiendam derivationem non solum vitam alicuius partis intendere oportet, quippe quod, nisi gradum irritationis ea in parte, cui quidquam detrahi debet, respexeris, parum proficiet. Gradus enim ille antea eruatur, stimulusque in altera parte provocandus ei accommodetur necesse est, siquidem ad effectum idoneum praestandum novam affectionem maiorem atque potentiorem priori esse oportet, ut scopo praefixo respondeatur. Quae quum antea parum respicerentur, nimium incitamentis exiguis in affectionibus valentissimis tribuerunt. Iam Hippocrates (Sect. II. Aphor. 49.) Ex duobus doloribus ait diversas partes adorientibus vehementiorem id praestare, ut alter obscuretur; quid igitur est, quod recentiorum temporum auctores supponant, gravius malum a minori depelli! vitium potius pristinum idemque maius id fere irritum reddet, quod opera nostra excitavimus. Ut igitur eventus prosper redundet, affectionem novam priori certe parem esse oportet, quod effici potest ut stimulorum mole repetitorum illa tan-

dem compescatur, quibus etiam accedere debet, ut causae vel stimuli priori morbo faventes aut alimenta suggerentes, arceantur. Quod nisi fit nunquam contingere potest, ut morbis prioribus methodo derivante medeamur, quippe quae tantum symptomatica est morbique phaenomena, non morbum ipsum discutit. Id ipsum etiam tum demum fieri potest, si stimulus novus priorem superat.

Haec vero explicatio iis solummodo exemplis respondet, quibus vita adaucta subest, quam quidem omnes imflammationes atque suppurationes sibi adsciscunt. Neque tamen usus ulcerum artificialium his terminatur, utpote quae iis quoque casibus bene respondent, quibus relaxatio visque vitalis defectus subest, v. c. tumoribus frigidis. Quum igitur praestantia eorum his in exemplis haud negari possit, opinio tamen supra proposita iis non respondet, quoniam actuositate diminuenda non opus est. Iam igitur quaeritur, quo modo huic repugnantiae occurri queat? Auxilia hic adhiberi solita, augmentum fere actuositatis partium aegrotarum spectant, quippe quae utplurimum inflammationem superficiei cui admoventur, irritant. Hunc etiam ulcera artificialia praestant effectum, ex quo solo, si quid ego hic iudico, curatio dependet. Ulcera enim vitam auctiorem qua pollent cum partibus vicinis communicant, actionem earum intendunt, ideoque phaenomena morbosa, ex defectu vis vitalis oriunda, discutiunt.

His igitur in exmplis stimuli communicatio praecipue efficacem se praestat, sanationemque inducit. Hinc ulcera artificialia pro derivantibus haberi proprie

non licet, quippe quae partibus haud subtrahunt quidquam sed potius vim vitalem iis adgerunt. Neque indicatio eorum ut in prioribus exemplis curationem symptomaticam sed radicalem spectat, quae nulla alia re nisi hisce effici potest. Propterea per se patet, illam tantummodo ulcerum artificialium speciem hic proficuam esse, quae inflammationem fortiorem suscitat. Imo experiëntia ipsa haec testatur, quum emplastrum cantharidum aut ferrum candens, parti aegrotae ipsi admota, praestantissimum exhibeant auxilium. Quae quum ita sint, ulcera artificialia effectum duplicem, pro morbi natura diversum exerunt. Primum quidem derivant, materiam producendae vi vitali morboque ipsi necessariam subtrahunt, partemque reapse debilitant. Tum vero vim vitalem intendunt, stimulorum summam aliqua in parte augendo actuositatemque maiorem provocando. An fieri possit, ut uterque simul effectus in morbis se efficacem praestet, nondum est diremtum.

Quodsi effectus ulcerum artificialium consideramus facile indicationes elucesunt, quae eorum usum vel efflagitant vel vetant.

Usum eorum haec exigunt exempla.

1. Affectio localis unaquaeque, cui remedia incassum applicata sunt. Indoles huius affectionis vel sthenia vel asthenia conspicua esse potest.
2. Affectio quaelibet ex functione suppressa, vel sana vel morbosa originem repetens. Haec de iis potissimum dicenda sunt, quibus magna est vis ad copiam vel mixtionem materiae organicae, si cutis aut consensu, aut suppressa aliqua

eius functioue magnas sibi partes vindicat.

Indicationem contrariam nunquam non gradus incitationis maior exhibet. Sthenia ad gradum certum, ne summum quidem evecta, omne irritationis augmentum, ne eo quidem excepto, quod ulcera artificialia suppeditant, damnum infert. Propterea non prius ad ea confugiendum est, quam stimulus ille, remediis antiphlogisticis ad certum gradum ab experientia ipsa petendum, diminutus fuerit. Eadem de affectionibus asthenicis valent. Rationem quandam intercedere debere magnitudinem ulcerum artificialium atque affectionem iis compescendam, supra posui. Quodsi enim debilitas maior est, ulcerisque ambitum maiorem requirit, qui, ut prior morbus tollatur, damnum irreparabile infert, abstinendum potius est, quum ulcus exiguum minus idoneum sit.

Attamen indicationes contrariae circumspectam medici observationem atque iudicium requirunt, quum ulceribus illis, licet variis rebus vetentur, saepe tamen salus reparari possit. Irritatio vehemens v. c. Organi nobilioris vitae discrimen inducere potest, nisi quam celerrime in aliam partem stimulus derivetur eiusque vita intendatur. In asthenia etiam quae affectione locali nititur, tantummodo stimulo contrario veraque exinanitione sanitas reconciliari potest.

Ceteroquin per se patet, hasce indicationes contrarias remediis idoneis valde coerceri, quorum igitur usus nunquam negligendus est, siquidem effectus perniciosus iis haud mediocriter sublevatur. Praeterea considerandum venit, medendi rationem utplurimum esse symptomaticam, et vix unquam sanationem per-

fectam praestare, quapropter remediis morborum causae morbisque ipsis respondentibus, opus est.

Hisce praemissis singula obiter pertractare liceat, quae provocandis ulceribus artificialibus inserviunt. Et haec quidem pro effectibus secundariis, a quibus plurimum auxilii subinde pendet, in varias classes quae iam supra positae sunt, diducam.

Primae classi ea iniungam, quae stimulum cutaneum evocando, simul epidermidem dissolvunt, lymphaeque effluxum inducunt. Huc vesicantia et cortex Mezerei pertinent.

Vesicatoria

Meloe vesicatorius ordini Coleopterorum adscriptus, has habet particulas constitutivas: principium extractivum fulvum, principium fluidum oleosum cerae simile, oleum solidum utrumque in alcohol solubile a quibus efficacia huius remedii pendet, magnesiam phosphoricam et acidum aceticum.

Vesicatoria cuti apposita 1. Rubefaciunt, irritant inflammant 2. Excoriationem suppurationemque inducunt 3. Resorptionem adaugent 4. organa uropoëtica atque genitalia incitant.

Vesicatoria vel fortiora vel ampliora imo extrinsecus adhibita, haec phaenomena producere consueverunt: linguae ariditatem, sitim, magnum totius corporis calorem, pulsum acceleratum, auctam urinae secretionem, vel eius retentionem quin adeo mictum cruentum.

Vesicatorium cuti admotum ibique diutius retentum, haec phaenomena deinceps offert: hora prima rarius effectum aliquem ostendit, nisi corpus maxime irritabile sit; utplurimum post secundam tertiamve horam vel serius levis rubor cutis incidit; cutis ipsa et vesicatorium humescunt, rubor sensim augetur, locus afflictus calet ac dolere incipit. Circa horam octavam vesiculae parvae elevari incipiunt, quae modo celerius modo tardius increscunt, tandemque coeunt, quo facto humor in iis contentus, locum infimum petit, ibique vesicam conformat, quae demto emplastro aperitur. Tempus horarum duodecim plerumque ad haec requiritur, verum tamen interdum tres horae sufficiunt, aut spatium duodecim horas excedens nonnunquam necessarium est. Morbis vesicatoria usum praestant 1. stimulo atque inflammatione quam provocant, quippe quae reactionem totius corporis partisque cui admoventur, scilicet cutis, intendunt; 2. affluxu humorum quem stimulo ac vesiculis conflatis efficiunt, actuositatem singularum partium derivant; 3. quum systema resorbens praecipue irritent, resorptionem humorum accumulatorum iuvant. Secundum haec indicationes stabiliendae sunt, quae vesicantium usum efflagitent. 1. Ad incitandam vim vitalem, tum corporis totius, tum partium singularum, praecipue cutis, ubi functio eius est suppressa; 2. ad efficiendam affectionem antagonisticam aut vicariam, ubi singularum partium vitia valde conspicua sunt; 3. ad dissipandam accumulationem localem lymphae serosae e.

. in hydrocephalo aut hydrarthro, 4. ad coërcendam atoniam organorum uropoeticorum.

Indicationes usui vesicantium contrariae haud minus ex eorum effectu metiendae sunt. Praeter communes iam supra memoratas hae ſere dantur. 1 Ubi humores vel typho vel alio morbo maxime sunt soluti, 2. ubi stranguria, nec minus ubi mictus cruentus subest, quippe quae vitia vesicatoriis excitari possunt,

Praeparata hunc in finem adhiberi solita, triplicis generis sunt:

1 Emplastrum cantharidum ordinarium ex partibus duodeviginti cerae, terebinthinae atque olei, sex partibus cantharidum conſectum (Pharmacop. Borussica pag. 101.)

2 Emplastrum cantharidum perpetuum ex partibus duodecim terebinthinae et mastichis, partibus duabus cantharidum, et una parte euphorbii quod quidem lentius illo agit, stimuloque continuo in parte aliqua efficiendo inservit.

3 Tinct. cantharidum ad quam conficiendam uncia semis pulveris cantharidum cum libra spiritus vini digeritur. Effectus eius celerior est quam emplastri antea nominati.

Ratio applicandorum vesicantium simplicissima est. Charta scilicet, corio, linteove hoc emplastro ad crassitiem aversi cultri illitis, ſormaque idonea forſicis ope conciliata, vesicatorium loco admovetur, cui ſonticulum inſligi velimus, et emplastris aliquot adhaesivis, splenio ſasciaque munitur. Horis duodecim praeterlapsis demitur, vesiculaeque locus inſimus inciditur

ut humor effluat; si vulnus apertum habere volemus, cuticula summa, quantum extensa est, resolvitur. Locus irritatus prout idoneum videtur vel unguento rosato, basilico, vel irritante deligatur, quorum hoc etiam ex cantharidibus praeparatum est, tum splenium imponitur fasciaque superdatur. Ubi id agitur, ut locus exiguus uberiorem praestet effluxum, linteolo unguento illito pisum vel aurantiolum immaturum submittitur, cui emplastrum adhaesivum firmius superimponitur. Post breve tempus plaga ad pisi vel aurantioli magnitudinem respondens existit, quae pro corporis habitu pus bonum emittit, quaeque facile aut minori aut maiori piso vel aurantio amplificari aut diminui potest. Unguento irritante locum diutius apertum servari haud conducit, quum usus cantharidum externus in longius protractus systematis resorbentis ope efficaciam suam usque ad organa uropoetica propaget ibidemque aut stranguriam, aut mictum cruentum excitet. Quamvis additamentum exiguum camphorae huic incommodo occurrat, minus tamen methodus ista mihi placet, siquidem camphora plagam cuticula denudatam maximopere urit doloresque ingentes cieт. Verum tamen si pisum uti supra proposuimus adhibere dubitamus, neque aliud omnino unguentum in usum vocare volumus, aliud saltem interdum substituendum est v. c. unguentum ex euphorbia, tartarove stibiato, quod tamen satis infirmum sit necesse est.

Cortex mezerei

Daphne mezereum aut Daphne laureola Cl. octandria trigynia. Cortex principium continet acerrimum quod autem corrodit, intus adhibitum, ardorem vehementem, vomitum, quin imo gastritidem excitat.

Cortex mezerei externe applicatus, qui recens optimus est, haec exhibet phaenomena: praeterlapso aliquo temporis intervallo, pro corporis habitu modo citius modo tardius ardor vehemens ac prurigo locum infestant cui cortex admotus est. Hoc intra sex et quatuor viginti horas evenit. Demto cortice macula rubra apparet, cui pro rerum diversitate vel recens cortex imponitur vel minus. Ubi illud factum est, circa quartum demum diem cuticula dissolvitur, ac profluvium humoris tenuis nascitur.

Effectus corticis mezerei persimilis est facultati vesicatoriorum, eo tantum discrimine interposito, ut multo tardius se efficacem praestet, neque organa uropoetica afficiat. Verum tamen stimulus fortior est, siquidem dolores vehementiores cientur.

Applicandi methodus haud minus simplex quam cantharidum est, particula corticis octo vel duodecim lineas in latitudinem, duodecim vero vel octodecim in longitudinem patens, per aliquot horas, ubi cortex scilicet exaruit, in aquam aut acetum coniicitur, tum loco cui stimulum infligi velis ita imponitur, ut pagina corticis interna eaque glabra, cuti admoveatur, eumque in usum vel humerus aut facies surae interior eligatur. Cortici sericum ceratum dein splenium superdatur, antea vero emplastri adhaesivi ope corticis particulae

cuti adiunguntur. Omnia dein fascia idonea muniuntur, quam paulo fortius adstringi oportet siquidem applicatione penitiori promtior effectus est. Horis sex duodecim aut quatuor et viginti praeterlapsis, prout aeger dolore vel maiori vel minori infestatur, fascia solvitur, eique loco sericum ceratum vel novus cortex superimponitur. Haec continuantur dum cuticula solvatur, quo facto alternis modo diebus recens cortex superiniiciendus est. Ubi stimulus nimius fuerit, haud alienum est novum locum irritari, siquidem dolor atque incendium symptomata periculosa inducere possunt.

Usus corticis mezerei iisdem nititur indicationibus quae supra positae sunt, attamen ab eo abstinendum est ubi effectus promtior requiritur. Indicationes contrariae sunt communes, quas supra recensui, attamen ratio habenda est irritabilitatis corporis, quoniam dolor hinc oriundus sat vehemens esse consuevit.

Huic classi inserendum est remedium, de cuius efficacia satis mihi persuasum habeo, quo autem plurimi abstinent.

Aqua fervida.

Quae pro epispastico adhibita praestantissimum usum exerit. Stimulum enim haud mediocrem celeriter inducit, qui pro rebus circumstantibus facile sustentari vel mitigari potest. Praeterea id commodi praestat, quod semper inflammationem genuinam efficit, qua quidem minus gangraenae periculum nascitur, quam remediis antea positis, quippe quae partes chemice decomponunt ideoque gangraenae favent.

Aquae fervidae parti alicui admotae calor cum parte ipsa communicatur, doloremque vehementer ardentem ciet, aqua remota vel etiam usu eius adhuc continuato epidermis in vesiculam elevatur cuius ambitus inflammationem genuinam portendit. Vesica patefacta atque epidermide submota cutis ei subiecta intense rubicunda apparet, ac nisi locus iste celeriter contegitur, arescit, multoque vehementius dolet.

Commodissimum puto, aquam fervidam spongiae ope applicari, siquidem hac ratione guttulae minus disiiciuntur. Attamen prospiciendum est ut spongia antea ex aqua fervida exprimatur, dein vero ex parte tantum impleatur.

Indicationes quae usum huius auxilii postulant supra sunt dictae, attamen latius patent. Reiicienda est aqua fervida ubi cantharides vel cort: mezerei ita adhiberi possunt, ut neque corporis infirmitas neque humorum solutio obstent. Contra aqua prodest, ubi ex cantharidibus periculum timetur, id est humoribus valde solutis, quoniam acrimonia chemica in cantharidibus et mezereo contenta facili negotio gangraenam provocat, quae ex inflammatione genuinà auctaque actuositate minus timenda est.

Iam veniendum est ad secundam classem auxiliorum quibus ulcera artificialia inducuntur, ubi stimulus minoris aestimandus est, suppuratio vero protinus ab initio uberior provocari debet, quam praesidiis antea recensitis fieri solet. Huc fonticulus vel causticis vel scalpello effectus atque setaceum pertinent.

Fonticulus. Ulcus artificiale stricte sic dictum

Fonticulus est ulcus continuitate alicuius partis artificiose diremta effectum, morbique organismum tenentis curationem spectans. Effectus fonticuli circa locum cui inflictus est, pro materiae diversitate, ad eum conformandum adhibitae, discrepat.

Si cultro usi sumus, carne diducta primum inflammatio marginum vulneris inducitur, modo magis modo minus diffusa; dein inflammatio ista ad tertium certe diem in suppurationem abit, margines quum antea tumidi atque incensi essent, nunc relaxantur atque collabuntur, Ubi causticum in usum vocatum est, inflammatio non in ulcere ipso sed in eius circuitu nascitur. In ulcere autem actione chemica sphacelus verus oritur, qui habitu laxo atque livido ulceris se conspiciendum praebet. Inflammatio viciniae persistit, donec sphacelus depulsus est, quod modo citius modo tardius evenit. Si corpus ceterum valet, neque dyscrasiis subigitur, crusta circa secundum tertiumve diem deiicitur, ulcusque benignam exhibet suppurationem. Si vero corpus debile vel acrimoniis subactum est, quae humores solvunt, crusta minus facile deiicitur, quin imo sphacelus ab ulcere latius patescere potest.

Fonticulus cultri ope hac ratione praestatur: ubi fonticulum esse voles plica transversa ex cute formatur et iuxta longitudinem scalpelli inciditur. Vel etiam cutis ad telam cellulosam, in directionem certam aut longinquitatem id est circa lineas septem vel undecim

diducitur. Dein vulnus linteo firmius convoluto farcitur, supra quod emplastrum adhaesivum transversum adstringitur, tum splenium imponitur atque pars illa fascia strictiore munitur. Biduo triduove interpositis ligatura solvitur, linteum eximitur, quo facto vulnus purgatur et pro varia eius magnitudine vel pisum aut lenticula iniicitur, quibus linteum ceratum superdatur emplastris adhaesivis firmatum. His denique splenium atquè fascia superiniicitur. Fonticulus ratione magnitudinis atque profluvii singulis diebus semel aut bis deligandus est. Si stimulum ulceris maiorem effici cupimus, pisi lenticulaeve loco aurantiolum immaturum aut globulum ex iride florentina convolutum immittere oportet.

Caustica pro varietate naturae suae variam exigunt methodum, discrimen plerumque in forma remedii positum est, prout hoc vel corpus solidum vel fluidum vel unguentum erit. Caustica solida hanc postulant agendi rationem:

Loco cuidam emplastrum fenestratum recens illitum imponitur, circa foramen emplastri annulus ex emplastro adhaesivo non diducto datur, cuius ambitus ad foraminis magnitudinem accurate respondeat; qui si fenestrae margini applicatus est, causticum contusum eo coniicitur, cui consilio vel lapis causticus chirurgorum aut lapis infernalis respondet. Haec pauxillo aquae humectantur, linteo carpto conteguntur ibique tamdiu continentur, donec effectus satisfaciat. Hoc nonnunquam intra minutas quatuor interdum intra bihorium fieri solet, quae differentia ab aetate constitutione vel partium vicinarum dignitate

pendet. Agendi rationem parum diversam mercurius sublimatus hunc in finem adhibitus postulat, eo tamen interiecto discrimine, ut cuticula vesicatorio antea submoveatur.

Remedia fluida v. c. butyrum antimonii acidaque penicilli ope loco adurendo applicantur et effectu rite praestito lacte tepido abluuntur.

Arsenicum plerumque in remedio Cosmico minus tamen ad conformandos fonticulos adhibetur, propterea usus eius hic loci praetermittendus est.

In unguenti forma tartarus stibiatus applicatur: locus adurendus sine alia observatione semel aut pluries per diem hoc unguento perfricatur donec pustulae appareant.

Ubi causticorum virtute suppuratio orta est, viam supra propositam ingrediamur necesse est, ut fonticulus inde nascatur. Unguentum tantummodo stibii inunctionem continuatam eamque in intersititia pustularum postulat.

Indicationes quae fonticuli usum exigunt supra iam comprehensae sunt, verum tamen iis potissimum opus est, ubi suppuratio magis quam stimulus spectatur. Stimulus iste causticis multo maior quam scalpello excitatur, quapropter inter auxilia haec distinguendum est. Indicationibus contrariis quas etiam recensuimus accedit, quod unaquaeque dyscrasia et praecipue dispositio scorbutica causticorum usum vetat.

Setaceum.

Curatio setacei ope fit, quum vulnus aliquod funiculo vel linteo vel xylino vel bombycino traiicitur. Phaenomena inde oriunda sunt: inflammatio loci funiculo traiecti, quae paulo post in suppurationem largam solvitur. Haec suppuratio multo uberior est, quam aliorum fonticulorum eiusdem magnitudinis, siquidem hoc in casu duo orificia in illis unum tantummodo pus secernit. Funiculus hoc fere modo traiicitur:

Chirurgus loco aliquo cutem in plicam comprehendit, quam eo maiorem esse oportet, quo maior tubulus esse debet. Utraque plicae lamella quam maxime appropinquantur et infra digitorum apices scalpello perforantur, qui si duplicem aciem habet commodissimus est, attamen lanceola etiam, vel acus in hunc finem adaptatae respondent. Acus funiculum ex filis duobus ad viginti xylinis vel bombycinis compositum, aut linteolum, cuius latitudo pollicem unum vel dimidium vel tres partes pollicis patet, marginesque diductos habet, trahat necesse est. Hac protinus traiecta operatio absoluta est. Si cultro utimur, vel specillum auricula instructum funiculoque traiectum circa inferiorem scalpelli faciem, hoc intus retento, transmittitur atque funiculus traducitur, vel etiam scalpellus extrahitur et specillum solum per tubulum traiicitur. Ubi specillum auricula praeditum non est, aliud quoque eidem scopo respondet, siquidem funiculus circa capitulum eius volvitur et per canalem transmittitur.

Indicationes ad hoc auxilii genus eaedem sunt, quas pluries commemoravimus, verum tamen rarius ad hoc confugimus, tum propter doloris magnitudinem, tum propter incommoda quae deligatio praestat. Magis in usum vocatur setaceum ad novos canales faciendos etc. quibus in exemplis aegre praetermitti potest. Ad indicationes contrarias potissimum pertinet suppuratio larga inde oriunda, ubi enim debilitas haud mediocris subest, setaceum alienum est, quia vita periclitatur.

I g n i s.

Progrediendum denique est ad tertiam classem remediorum, quae profusam simul suppurationem atque stimulum ingentem cient Huc ignis referendus est, quo nostris temporibus ad provocandum fonticulum duplici modo utuntur.

Effectus quos ignis in corpus exerit: 1. Irritamentum vehemens atque inflammatio 2. Mumificatio partis cui admovetur. 3. Augmentum vitae tum organismi totius tum functionum singularum. Effectus visibiles quos ignis iis in partibus quibus adhibetur praestat, sunt: pars corpore flagrante tacta carbonis naturam recipit, crustamque sensus expertem induit. Iuxta vel infra hanc summa inflammatio nascitur, quae pro distantia sua a crusta decrescit, demumque in inflammationem erysipelaceam abit. Pro diversa materie, cauteriique forma spatium quod inflammatio occupat differt. In organismo toto ignis vitam adauctam exciat quae protinus apparet. Stimulus ignis igitur cum

aliorum auxiliorum irritamentò comparatus celerrime per totum organismum diffunditur. Quam diu stimulus primarius perseverat, actuositas corporis aucta viget, illo autem decrescente haec pedetentim evanessit. Per horas quatuor et viginti inflammatio nisi mitigantia adhibeantur, summum locum tenere consuevit, dein comminui incipit ac tertio quartove die inflammatio nova cum ingenti dolore oboritur, quae postremo in suppurationem convertitur. Suppuratione exorta, rubor partium finitimarum disparet, vulnus crustam deiicit atque suppurationem optimam fovet. In universum igne minus quam aliis remediis timendum est, ne gangranea inde exorta latius serpat, quin imo in dyscrasia scorbutica quae unamquamque laesionem in sphacelum exitialem facile transmittit, ignis usus tutus est.

Ignis praecipue irritamento atque intentione genuina vis vitalis non solum partis cui applicatur, sed etiam totius organismi effectum suum exerit. Irritatione universali quam producit, omnes systematis resorbentis partes intendit, resorptionemque humorum effusorum collectorumve iuvat.

Indicationes hoc auxilii genus flagitantes non aliae sunt quam superiores, cum eo tamen, ut ignis praeferatur, ubi alia auxilia affectioni provocandae minus paria suut, quam ad morbum tollendum opus est. Neque non ignis prodest ubi debilitas universalis remedia chemica respuit praesertim in dyscrasia scorbutica (Rust arthrocacologie). Indicationum contrariarum praeter superiores vix aliae existunt, eaeque ipsae haud mediocriter circumscribuntur, quum vel summus

debilitatis gradus hoc auxilium perferat. Ignem duplici modo applicari, iam supra comprehendimus 1. Per moxam ex materie aliqua ustibili paratam, quae super parte affecta flagratur. 2. Ferri candentis ope, quod ad candorem usque calefactum corpori admovetur.

M o x a.

Haec quidem ex variis materiis comparari potest, quum singuli fere populi aliis atque aliis rebus ad eam utantur. Nomades lanam succidam pecudum, Indi medullam iuncorum, Persae fimum caprearum, Armenii fungum qercinum, Sinenses atque Iapones lanuginem artemisiae, Thessali muscum aridum, Aegyptii xylinum, quorum hoc a nostratibus etiam adhibetur, huic fini adaptant. Pouteau (Oeuvres posthumes. Tom. 1) moxam a xylino parandam, funiculoque circumdandam suadet. Rustius boletum igniarium aut lignum putrefactum praefert, quoniam his aëris afflatu ad gliscendum non opus sit.

Ubi moxam e xylino aut lino conficere volemus, hasce materias in cylindrum tres pollices longum, dimidium pollicem crassum, strictius contorquere, fasciola angusta aut filo circumcingere, cylindrumque medium perscindere oportet. Apex inaequalis oleo tingitur atque incenditur, dein moxae pars abscissa pauxillo salivae loco adglutinatur, cui ignis admovendus est. Afflato aëre ignis sustentatur donec carbo remanet. Post haec non opus est deligatione, verum

tamen linteolo puro locus contegendus est. Ubi corpus frigidum valdeque relaxatum impedit, quo minus inflammatio sufficiens efflorescat, cataplasmata calida parti superdanda sunt, quem ad finem decoctum malvae prae caeteris respondet. Partes maxime dolentes unguento Stahliano ex tribus partibus butyri recentis et una cerae parte composito deligari convenit. Nimius dolor raro in partibus conterminis aut adustis oboritur, quamobrem quum ipse consilio medici faveat, quam diutissime remediis eum debellantibus abstinendum est.

Ferrum candens.

Forma ferri candentis varia esse potest. Percy in opusculo suo, quo quaestionem ab academia Parisiana anno 1793 propositam pertractat, (Pyrotechnie chirurgical pratique ou l'art d'appliquer le feu) quintuplam ferri formam idoneam perhibet 1. cylindricam, 2. conicam, 3. securiformem 4. nummiformem 5. octangularem. Rustius ferro prismatico utitur, ita ut angulis eius strias inurat, facie autem plana fonticulos excitet.

Ferro super pruna candefacto, aegroto commode collocato, ac ministris qui eum retineant rite dispositis utraque manu chirurgus ferrum prehendit, et pro rerum necessitate partem denudatam vel perstringit, vel gravius adurit. Ubi plures striae inurendae aut fonticuli excitandi sunt, singulis vicibus ferrum recens candefactum opus est. Ustione peracta, pars nonnisi

linteo tenui mollique tuenda est. Dolores ex ustione superstites non sunt coërcendi. Unguentum Stahlianum et fomentationes ex decocto malvae, si necessitas aliqua incidit, usum bonum praestant.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego, Adolphus Sturm, Kalisiae Poloniae oppido, patre Carolo Sturm, matre Christina Haeusler, Vratislaviensibus, anno millesimo, septingentesimo nonagesimo octavo natus et confessioni evangelicae adscriptus sum. Ad annum usque nonum, domi edoctus sum, postea Lyceum Varsoviense per sex annos frequentavi, per duos annos in Pharmacopolio Varsoviensi operam exhibui, dum inter alumnos Academiae regiae medico-chirurgicae Berolinensis reciperer. Ab anno millesimo octingentesimo decimo quinto usque ad decimum sextum munere chirurgi per annum integrum functus sum. Bello peracto ad studia reversus Academiae dictae adscriptus triennium et sex menses litteris vacavi. Studiorum meorum tempore, ut publicas lectiones omittam, hisce privatis mihi interesse contigit. Beat. Kiesewetter de mathesi, psychologia et logice. Cel. Link de historia naturali, pharmacologia

et botanice, Ill. Knape de osteologia, splanchnologia, arte conscribendi formulas medicas, et medicina forensi; de anatomia universa et physiologia Ill. Rudolphi disserentem audivi, iidemque viri summi arte cadavera dissecandi in theatro anatomico me instituere. Physiologia et materia medica Cel. Osann me imbuit. In pathologia generali et semiotice, therapia generali et speciali Cel. Hufeland iun. in pathologia speciali Ill. Horn, in akiurgia Ill. Graefe in akologia et praestandis operationibus chirurgicis et arte obstetricia Cel. Mursinna, in akiurgia, ophthalmiatrice Cel. Rust me erudiverunt. In doctrina de ossibus fractis luxationibusque curandis, in chirurgia generali Clar. Kluge praeceptore gavisus sum. Institutis clinicis Ill. Horn, et Cel. Rust benevole me admiserunt.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Therapia generalis medico utilior speciali.

II.

Contactum seminis virilis materialem in ovariis, ut graviditas eliciatur, opus esse, persuasum mihi habeo.

III.

Psoitis effectus potius quam causa cariei vertebrarum est.

IV.

Nullum est coutagium materiale.